

Heinrich Rudolph Redecker    Georg Schröder

## De Neutralitate Bono Deo

Rostochi[i]: Kilius, 1659

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735209847>


Druck    Freier  Zugang



Neutralität  
zwischen Kriegführenden

Titel: Rodeter, Heinrich. Pind. /b  
Resp. Schroder, Georg.  
R. U. jms 1659

J



319 29

DE  
**NEUTRA-  
LITATE**

BONO DEO

PRÆSIDE

**HENRICO RUDOLPHO**

**RECTORI** *Redaktor*

Profess. Juris Ordinario,

**GEORGIUS SCHRODER,**

Flensb. Hoff.

In Auditorio majori V. Martii  
publicè disputabit.



*ROSTOCHI,*

Typis Hæredum NICOLAI KILLII, Acad. Typ.

Anno M. DC. LIX.

1659

DE

NEUTRA  
LITATE

Bono Deo

Universitäts-  
Bibliothek

HENRICO

RECTOR

Profes. Juris Ordinarius

GEORGII SCHRODER

Phases. Holl.

In Auditorio n. 101 V. Martii

publice disputavit

1777

Rostock

Typis Hæredum NICOLAI KILIANÆ, Typ.

Anno M. DC. LXXVII.



I. N. D. N. J. C.

De

## NEUTRALITATE.

### POSITIO I.

**R**atio Status est medium conservandi vel augendi eam reipb. formam quam Princeps, seu is, qui reipb. præest, intendit; Quæ tamen, nisi cum prudentiâ status sit conjuncta, barbaram & brutam redolet naturam, à Christiano Principe alienam, in mero factò à justitiâ remoto consistens, juxta antiquum illud: *Si libet licet.* & illud Pharaonis: *Exod. i. v. 10.* Nec oritur ex plenitudine legitimæ potestatis, sed tempestatis & iniquitatis.

2.

Quamvis autem Prudentia ac Ratio Status harmonicam juncturam administrandi Rempb. exigant; per se tamen differunt; Quoniam 1. Ratio Status ad præsentem ac incidentem casum præcipue tendit; Prudentia autem sta-

rus, in memoriâ præteritorum intelligentiâ præsentium & providentiâ futurorum consistit. *Sæved. Symb. Polit. 28.*

3.

Deinde Prudentia status considerat virtutes Politicas, quibus augetur vel conservatur Respublica in rectè administrando; Ratio autem status pro objecto habet utilitatem Reipb. *Reinkingk d. R. S. & E. lib. 2. cl. 4. c. 1. n. 38. 40.* 3. Prudentia status nunquam à virtute verâ recedit; Ratio autem status spreto sæpe privatorum commodo publicum tantum bonum respicit & ad ipsum administrandi medium refertur 4. Illa pro fine habet honestum; Hæc utile. Neq; tamen omninò Cæsaris vox approbanda: Si jus violandum est, regnandi causâ violandum est; Nam ratio status à lege Dei directo deviare sine Tyrannide & Atheismo non potest.

A

4. Cum

4.

Cum verò Salus populi suprema lex sit, illam præcipue Princeps utroq; reipb, tempore & belli & pacis ita spectare debet, ut utrumq; per prudentiam & rationem status ritè possit gubernare; prudentiâ etenim magis, quàm armis ac potentiâ Imperia defenduntur: Nam qualis Cyclops Polyphemus est amisso oculo, talis etiam Princeps est sublatâ prudentiâ, quia hæc tanquam peculiaris ac propria regnantium virtus quam maximè Principem conservat. *Chokier aph. pol. lib. 2. c. 18. Prov. 2. vs. 11. & c. 24. vs. 6.*

5.

In Pace autem placidè quidem cum hostibus agendum, providè tamen & cautè subitis casibus velut in bello prospiciendum est, cum frequentissimum futuræ calamitatis initium sit securitas. Adeoq; in pace semper ad bellum parata esse debent Principis brachia; Nam deficiente exercitio militari virtus quoq; deficit: Subditos enim disciplina armorum habiles reddit, ad tuendam pacem & sustinendum bellum. Quamdiu tamen pace frui potest, illam perturbare non debet incerto bellorum strepitu; Inde lætior Tiberius, quia pacem sapientiâ firmaverat; quam si bellum per acies con-

fecisset *Tac. 2. Ann. c. 64.* & Scipio Africanus: Malle se unum servare civem, quàm mille occidere hostes. In pace enim causa & merita spectantur: Ubi bellum ingruit innocentes ac noxii juxtâ cadunt *Tac. 1. Ann.* unde bellum non aliter suscipiendum, quàm ut sine injuriâ in pace vivamus *Cic. 1. 1. off.*

6.

Bellum itaq; ut ut causa vel defensionis vel invasionis justissima sit, sine evidenti tamen necessitate non facile erit suscipiendum, præsertim cum minor sit spes emolumenti, & major metus damni. Nam cum nusquam minus, dicente Hannibale, quàm in bello eventus rerum respondeat, & susceptum, ægrè iterum deponatur; Ubi semel inchoatum est strenue gerendum siquidem minus reip, nocivum est non suscipere bellum, quam segniter armis uti; eductus è vagina gladius si sanguine hostium urgente necessitate non ungetur, cum rubore in eâdem reconditur. In bello tamen semper de æquâ Pace cogitandum; Quia pax, *Ex Symbolo Marciani*, bello potior est.

7.

Quoniam autem in bello turbatur Reipublicæ Harmonia; Periclitatur

riclitatur religio; violatur justitia; Silent leges; Læditur amicitia; Negliguntur artes; Perit agricultura; cessant commercia; vastantur civitates; Inmutantur dominatus. Inde omnis honesta ratio retinendi vel acquirendi Pacem ineunda est. Et quam diu per rationem status prudenti consilio inter vicinos belligerantes Neutralitas conservari vel acquiri potest; Armorum incertus eventus metuendus est; Inde non semper tutum est velle cum vicinis in bello periclitari.

8.

*Def* Neutralitas verò est status illorum qui inter vicinos belligerantes medi sunt. Quæ generalitas omnem neutralitatis speciem comprehendit, quæ vel communi pace, vel speciali conventionione competere potest: Quando enim inter vicinos Principes per vim publicam dissentantes quidam medi sunt, illi vel ipso jure vel speciali conventionis pacto de belli extremis haud participant. Dicitur autem Neutralitas à neutro, quod de duobus prædicatur privative, inde neutrales vel medi dicuntur, qui neutrius partis sunt sive cum neutrà parte faciunt, *Svet. de vitâ Cesar. c. 75.* ipse medius & neutrius partis. Status au-

tem, conditionem Principis denotat, quæ in administratione reipublice habet, tempore Belli ac Pacis.

9.

De Neutralitate itaq; ulterius acturi videndum est 1. An neutralitas regulariter sit amplectenda. 2. Qui non debeant esse Neutrales. 3. Qui debeant neutrales esse 4. Qui possint Neutrales esse. 5. Quomodo neutralitas ineunda. 6. Quomodo neutrales se debeant gerere adversus belligerantes 7. Quomodo belligerantes versari debeant circa Neutrales.

10.

Primum quod attinet communis Politicorum Schola neutralitatem, seu statum inter belligerantes medium, regulariter esse fugiendam, nec sine evidenti periculo ambiendam, unanimi ore statuit, *Dn. Reinkingk d. R. S. & E. lib. 2. c. 3. n. 36.* quia 1. confilia media vel raro vel nunquam sunt profutura, *Lips Polit. 4. c. 9. n. 86.* victori enim præde fit, qui ipsi belligeranti non assistit, modo propriis viribus ad resistendum non possit confidere: Ita habitatores Jabes interfecti sunt,

A 2

cum



cum Israelitis contra Beniamitas assistere nollent *Jud. 21. v. 10.* quod tanquam justè factum probat, *Osiander d. l.* simile cum stupore Christiani Orbis hodie expertus est Dux Curlandiæ, qui certè tutior fuisset, si se citius explicasset & hostem metuisset.

11.

II. Offenditur per neutralem tam victor quam victus, ille quod non habuerit assistentem ad victoriam celerius consequendam, vel potius obsequentem; Hic quod indefensus sit relictus ab illo cuius operâ & auxilio potuisset servari: Unde itaq; gratiam aliquis sperat, inde odium vel iram acquirat, gratitudo enim huic vel illi belligeranti exhibita utrinq; est odiosa, & suspitionis plena: Rarò enim vel nunquam victoris insolentiam justitia vel prudentes cogitationes cohibent; Et magni Principes, dum quod optant, illis denegatur, injuriâ se affectos existimant.

12.

III. Neutralis belligerantium injuriis consumitur, inde illi assimulatur qui medias inhabitat ædes; is enim à superioribus casum, ab inferioribus fumum metuere debet *arg. l. pen. ff. de Injur.* quemadmodum Rex Alphonsus de Senensibus olim satis lepidè dixit

Senensibus inter Florentinos & Pisanos mediis, idè quod iis qui mediâ partem domus incolunt, accidisse: Incolæ enim ejusmodi, ut plurimum ab inferioribus fumo, à superioribus lotio vexantur. *Scip. Amir. dissert. in Tac. l. 18. c. 8. in fin.* continuis enim belligerantium ex & transcurtionibus premitur & inter injurias senescit, qui utraq; vicinorum factiones in visceribus sentit.

13.

IV. In prædam belligerantium conteritur, tanquam granum inter duos molares, & tandem sine ullo gratiæ respectu, à victore opprimitur; licet enim in hoc vel illo, huic vel illi abundè jure neutrali satisfactum sit, attamen si minimum intermittatur, illud in vindictam provocat, nec exhibitæ favoris aut gratiæ vel perpesi generis ulla habetur ratio; Natura enim belli hæc esse videtur, ut communem hostem judicet, qui competias non fert. *Richt. axiom. Hist. 132.* & qui neutrarum partium duces sequitur, tandem certâ fit victoribus præda *Bodin. Lib. 5. de Repb. c. 6. p. m. 588.* Imperium enim cupientibus nihil dicente Tacito medium, inter summa & præcipitia.

14.

V. Neutralis lento quasi igne consu-

consumitur, & viribus enervatis cum eluctandi præcludatur facultas, volenti subicitur, atq; periculum quod cautè declinare vult incaurus subit, & quidem eo celerius quo vires continuà expilatione sunt magis debilitatæ. Indetutius est in tempore occurrere quam post vulneratam causam remedium quærere, & generosius longè est fortiter prævenire, quam turpiter præveniri. *Clapm. d. arcan. rerumpubl. 4. c. 10. arg. l. ult. C. in quib. caus. in integr.* illi enim quos vel præpostera ignavia, vel prava calliditas vel foetida timiditas à bello vicino abhorret, præsentissimam interitus periculum metuere debent. Magnà quippe prudentiâ vel potius potentiâ opus est, si in tali rerum statu, sese quis sine clade conservare velit. Victor enim propter recens partam victoriam vires auctas sentiens, omnem opprimendi arripet occasionem *Scip. Amirat. in Tac. l. 18. c. 8.*

15.

VI. Media via nec amicos parit, nec inimicos tollit, *Liv. l. 9.* Non illos quia amicitia mutuum auxilium exigit, quod non consistit in commiseratione mentis, sed in robore virium & fortitudine armorum: Nec hos quia consilia media suspicionem iræ magis magisque augent, unde

Aristenus Achæorum Prætor, cum audiret sententiam Cleomedontis in consilio Ætolorum dicebat: Romanos oportere habere socios aut hostes, mediam viam nullam esse, veluti qui eventum expectaverimus, ut fortunæ nostræ applicaremus consilia, præda Victoris erimus *vid. Liv. l. 32. & 35.* Rarò si quidem illis pax fructuosa relicta est, vel debita gratia reddita, qui alteri vicino nec astipulari, nec ad hæere voluerunt *VVarem. de Erenb. de fæd. c. 1. n. 59.* quia omne medium hic in vitio ponitur, & omne extremum laudabile est *Forstner. in Tac. p. 249.*

16.

VII. Concordantibus utriq; beligerantibus utriq; parti sunt odio; Amicis, quia non astiterunt, cum non illi tantum amicitia fidem frangant, qui parti adverla assistunt, sed etiam qui otiano amicitia legem transgrediuntur; noscitur enim adverso tempore verus amor: Et Inimicis, qui præsumunt eum cù hoste suo colluisse, adeoque etiam inde promptiores evadunt ad subjugandum illos quatenus amicorum ope destituuntur. Ita Arcadibus cum Lacedæmoniis bello decertantibus Messenii, qui temper illorum erant fœderati, & horum inimici, quieto otio fruebantur, donec factâ inter bellige-

A 3

rantes

rantes, pace cum horum impetum soli sustinere non possent, in miseram servitutem redacti sunt *Polyb. lib. 4.*

17.

VIII. Neutralibus illud accidit, quod in comædiis spectatoribus, qui aliis vi concertantibus maxime premuntur; durante enim bello ipsis non parcitur, nec factio inter dissidentes foedere comprehenduntur, sed prædæ communi relinquuntur: vel si ab aliis invadantur, sperato auxilio destituuntur; Nam qui vicit, non admittit socios quibus confidere nequit; & victus illos spernit à quibus tempore oppressionis speratus est *Neymayr. de Neutral. c. 12. n. 4.*

18.

IX. Qui sine evidenti necessitate sunt neutrales dicuntur utriusque; die auff beyden Achseln tragen / metuant tamen ne sint inter utrumque; die schwischen beyden Stühlen nieder sitzen. Inde olim in Parnasso deliberatum dicitur, cum vox Neutrale haud sit Germanicum, quomodo Neutralis Germanicè dicatur? Ibi quidam dixerunt keinerley h. e. weder Fisch noch Fleisch / sondern ein Gerichte Krebs; die so bald zu rücke als vorgehen; Alii beyderley weil sie auff beyden Achseln ihr eigen verderb tragen.

19.

X. Neutrales illis etiam similes esse videntur qui anguem in sinu fovent, quibusque Germanicum illud optime applicatur: Sie ziehen Füchse auff / die werden ihnen die jungen Hünner fressen / propriis præsepibus alienos, videntur alligare equos, alienumve militem alere ex sua camera & cavena, usque dum debellandi datur conveniens ansa & irresistibilis occasio. *vid. Johan VVilhelm Neymayr, cujus exquisitissime elaborato studio sæpe utimur, de Neutral. c. 4.*

20.

XI. Illis etiam haud difficulter comparantur, qui cum insignia lucra haud sperare possint, tamen æra aliena sub gravi usura mutuo sumunt, quæ usura licet annuatim sit tolerabilis, tacite tamen omnè debitoris substantiam absument; Ita is qui neutralis est, licet invasiones hostium leviter incipiant at tamen quæ tempore ingravescunt, eatenus totum ejus Imperium facile debilitant, Se consumunt.

21.

XII. Nec mirum est si à prudentibus hominibus illud tertium, consilium, quod omnium ore regulariter nullum est, contemnatur, cum & ipsi Deo media via displiciat; juxta illud: Utinam frigidus vel calidus esses, cum autem

tem, tepidus sis evomam te *Apocal.*  
3. Et Solon capitis pœnam lanxit,  
si quis in seditione alterius partes  
non fuisset secutus.

22.

Unde nemo sibi facile persuadere debet, viam sibi mediam esse tutam, cum certè sit admodum periculosa & incerta; potentia enim vicini, quæ ex nactâ victoriâ amplius crevit & animum ulterioribus addit, certè formidabilis esse debet vicino otio & quiete utenti, unde olim consul quidam Romanus *Liv. lib. 3. dec. 5.* Quid desides sedemus domi præsentè pace læti, nec cernentes ex otio illo; multiplex bellum rediturum: Ex duobus enim malis vel futuris vel præsentibus, minimum est eligendum

23.

Inde assistentiâ hujus vel illius partis & præcipuè potentioris magis laudanda: Si enim is victor existat, simul de dignitate & emolumento victoriæ participat, quem admodum Landgravius Hassiæ ex assistentiâ Gallo præstita, territorium suum mirificè auxit; Si autem præter intentionem is cadat, cui assistitur: Solamen miseris socios habuisse malorum; deinde spes est duos citius evasuros, vel si ceciderint sese erecturos, quam unum. & melius est cum uno fovere spem victoriæ, quam utriusq; odium &

iram sustinere *Machiav. c. 21. de suo Princip.* cum & longè illustrius sit viriliter pugnare, quam turpiter perire.

24.

Quamvis hæc ita videantur, nolim tamen neutralitatem planè in exilium dare, licet enim ea regulariter haud sit amplectenda, tamen nulla regula tam firma est quæ non patiatur suas exceptiones ac limitationes: si enim necessitas causæ, & ratio status à Principe omnino sit trutinanda, neutralitatis ratio sæpe ineunda, ut salus populi conservetur: unde jam videndum.

25.

Qui non possint esse Neutrales, tales sint 1. Subditi, qui in alicujus territorio domicilium constituerunt, vel aliàs superiori-tati alicujus sunt subjecti *l. 190. de V. S.* nec refert sive sint Subditi propriè sic dicti, sive Landsassii h. e. homines jurisdictionales, quibus in omnibus præcipi ac mandari potest à Domino territorii, utpote quem præstito homagio, vocant *Erb und Lands-Herrn*: Landsassii enim licet subditis absolute ita dictis, sint digniores, quia etiam possunt esse vassalli & aliàs privilegiati, tamen relative ad Dominum subditi sunt eumq; sequi tenentur, nam correlativum

lativum der Landfassen est territorialis jurisdictio die Landesfürstl. Obrigkeit *Speid. voc. Landfassen* / Landfassen enim esse vere subditos; probata probatio est, quia Juramentum subjectionis & homagium præstare tenentur. *Matth. Steph. de Jurisd. 2. c. 7. n. 209.* Hinc qui hoc Juramentum præstat, ex propriâ confessione & quidem juratâ, se subditum constituit *Thom. Michael de Jurisd. concl. 37. Cothm. Consil. acad. 47. n. 38.*

26.

Dicitur autem homagium quasi hominium, quod is qui fidelitatem hanc præstat, fiat homo Domini *Chass. in consuet. Burg. in Rubr. de siefs. §. 3. verbo, & homage*, Unde *Cujac.* venustius vocabulum hominii, quam homagii antumat *lib. 8. Obs 14.* dicitur autem Germ. die Erb und Landes Huldigung quo subditi Jurant *trew und hold zu senn unde getrewe und gehorsahme Unterthanen vid. Rostock. Erbvertrag p. 4. & 5. Gilm. Decis. Cammer. l. 2. dec. 60. n. 8. Lehnin. Spenrische Chronik. l. 2. c. 42.*

27.

Ex hoc juramento enim probatur assistentia Domino territorii pro posse & nosse præstanda, & consequens sequela die folge cujus vigore subditi Principem justè bellum

moventem, vel contra aliorum insultus se defendentem sequi tenentur, vel solvere hostenditias, Dicuntur autem hostenditiae adjutorium, quod faciunt Dominis Romani, cum Rege in hostem pergentibus *2. F. 40. pr. Germ. Heersteuer Knich. de Jur. terr. c. 3. n. 444. Speid. VVehn. Besold. voce folge / Sixtin, 2. de Regal. 1. eamq; præcedere solet die Aufforderung zur folge & lustratio die Musterung; hæc enim jure territoriali illi competunt, cui subditi homagium præstiterunt.*

28.

Quæritur autem an etiam ante Homagii præstationem, subditi ad præstandum subsidia militaria & sequelam sint obligati? *Aff. Quoniam Juramenti hujus præstatio non est modus constituendi subditum, sed ejus conscientiam magis obligandi.* Idq; minus dubii habet in illis Principatibus qui Jure successionis transferuntur, utpote in quibus per homagium semel præstitum heredes futuri etiam continentur, und *J. F. G. rechten Erben/ vid. Rost. Erbvertrag p. 4.* adeoq; quantum ad robur contractus attinet, hoc Juramentum ad heredes transit, quia sequitur naturam contractus transmissibilis, Licet enim morte jurantis spirituale vinculum evanescat, manet

manet tamen temporale & obligatorium. *Mench. Consil. 839. Bruning. de homag. Th. 292.* Siquidem hoc juramentum afficit heredem quoad robur contractus, licet non afficiat eum quoad reatum perjurii. Sed hoc potius intuitu heredis Principis ac Domini, quam subditorum est dicendum *Knich. de super. c. 3. n. 292. & seqq. vid. Reink. l. 1. cl. 5. c. 3. n. 2. & seqq.* Huc accedit, quod juramentum hoc non constituat superioritatem, sed quod sit constituta superioritatis & subjectionis tessera.

29.

At si edicatur subditis ut militent, tum demum parere debent, si constiterit belli causam esse justam; Alias Deo potius obediendum est quam hominibus. Et huic optime illud Antonini applicatur: scilicet expedire reip. ne quis re sua male utatur §. ult. *J. de his qui sunt sui vel.* Nisi bellum sit defensivum ob favorem defensionis. Quod si subditi de Justitiam causae dubitaverint, parendum esse videtur. Unde illud Taciti: Principi summum rerum judicium Dii dederunt, subditis obsequii gloria relicta est: *c. quid culpatur 23. q. 1.* Licet tutius hic sit abstinere a bello, cum inobedientia in tali casu minus peccatum sit, quam homicidium multorum innocen-

tium, & qui contemplative dubitat, debet judicio activo partem tutiorem eligere *Grot. de Jur. Pac. & B. l. 2. c. 26. n. 3. Diss. Struv. D. s. Feud. Th. 7.*

30.

Sed quid si subditus sit communis duorum dominorum inter se belligerantium? Rationis esse videtur, ut vel nulli servitia praestet; quoniam non minus uni quam alteri est obstructus; vel utriusque succurrat per substitutum, quoniam obligatio subjectionis, non operatur desertionem, sed potius opem. Si tamen Alter Alterum notorie injuste opprimat; opitulabitur injuste oppresso: Ab omni enim superioritate Jus honestatis intelligitur exceptum. Ex eadem etiam ratione DD. defendunt posse subditos Domino suo immediato, injuste ab Imperatore oppugnato, subvenire *Arum. de Jur. Publ. V. 2. disc. 29. Th. 6.*

31.

Ita nec Magistratus possunt jure officii esse neutrales, quando illorum subditi bello sunt impliciti; Omnis enim Magistratus in id unice incumbere debet, ut subditorum quietem ac pacem tueatur *l. 6. §. 2. l. 13. de Off. Praesid.* Quia idcirco Magistratus officio suo fungitur, ut subditorum, saluti prospiciat *l. 2. §. 13. de O. J. II.*

B

lamq;

lamq; defensionem Imperatores Jurato per Legem Imperii subire debent *Cap. Car. V. art. 8. Ferd. I. & Matth. art. 7. Ferdin. 4. art. 6.* & fere nullum Imperium vel fuit veleft, in quo Princeps subditis suis ad mutuam fidelitatem non sit obligatus. *Steph. Jun. vind. cont. Tyr. p. m. 149.* Inter saniores enim, Gens nulla tam barbara aut stupida intelligitur, quæ non in rege inaugurando aliquam ab illo regni conservandi fidem exigat; *Diet. de summs. Imp. por. Th. 74.* talis autem promissio, Jus dat ei, cui promittitur. *Grot. de J. P. & B. l. l. c. 3. n. 16.*

32.

Vasalli etiam neutrales esse nequeunt, respectu beneficii quod à Domino belligerante obrinent, quippe Juramento fidelitatis die *Lehnspflicht* quod regulariter est præstandum *Jacob. de S. Georg. tr. de Feud. verbo Investiti n. 74.* ad operas & obedientiam specialiter Domino obligantur. Potissimum autem quod Dominus feudi à Vasallo suo exigere potest, est servitium militare Germ. *Lehn oder Ritterdienst* / utpote cum regulariter ad operam militarem obstrictus sit Vasallus *2. F. 23. l. F. 1. §. notandū autē 1. F. 5.* sæpius tamē in investituris specificè determinantur servitia illa militaria, ut Vasallus Domino

bello implicito præsens sit, uno vel pluribus equis *Heig. p. 1. q. 18. n. 12. Struv. D. Feud. II. Th. 5.* Regulariter autem Vasallus in propria personâ Domino adesse debet; quia personæ certæ fides & industria non tantum per feudum obligata, sed etiam requisita esse censetur. *Carpz. D. Feud. 8. Th. 20. Struv. d. l. Th. 6.*

33.

Vasallus autem Domino immediato assistere debet contra quemcunq; *2. F. 55. §. 1. l. d.* Nec hic distinguimus inter Vasallum ligium ac non ligium, quia omnis vasallus proprius est ligius; adeoq; hæc distinctio feudi inter ligium & non ligium, est tantum figmentum interpretum, præsertim si respexerimus ad ipsum Juramentum Vasalliticum, die *Lehnpflicht* quod omnibus est commune *2. F. 5. 6. 7. 55. 28. in fin.* Hæc autem servitia præstanda sunt Domino; si ve ipsi inferatur bellum, si ve justè alteri bellum inferat *2. F. 7. 28. §. fin.* Excipitur tamen 1. Imperator cui sine majestatis crimine resisti nequit, cum bellum de causâ Imperatoris vel etiam imperiâ agitur *2. F. 7. 55.* 2. Dominus antiquior *2. F. 28.* qui in posteriori obligatione semper intelligitur exceptus *d. l. Carpz. D. Feud. 8. Th. 17.* 3. Si ejus, contra quem Dominus feudi

feudi bellum gerit, sit simul Va-  
fallus & subditus *dd. ll. Rosenth. c.*  
*8, concl. 10. Obbrecht. l. 3. c. 3. n. 7.*  
Non tamen excipitur Pater aut fi-  
lius vel qui ulterioris cognationis  
est *2. F. 28. in fin. Diss. Carpz. D. 8.*  
*Th. 14.*

34.

Sed quid si plures habeat Do-  
minos inter se belligerantes? Vel  
tunc diversa habet feuda, quorum  
respectu singulos agnoscit & Ipse  
antiquiori servire debet, cæteris  
per substitutos *arg. 2. F. 28. junct. 2.*  
*F. 99. in fin. quod si ignoretur? Illi*  
*qui primo interpellavit Hartm.*  
*Pist. 2. q. 47. c. 39.* Vel respectu u-  
nius feudi plures habet Dominos?  
Qui si de dominio feudi conten-  
dant, illi assistere debet, qui est in  
possessione. Tutius tamen si pe-  
nitrus quiescat, vel utriq; æquali-  
ter per Substitutum succurrat, nisi  
alter iniq; ab altero opprimatur,  
quoniam offensio nisi ex justis cau-  
sis procedat ipsi humanæ naturæ  
inimica est *l. 3. de J. & Jure.* Adeoq;  
ad illam Vasallus nihil quic-  
quam auxilii conferre debet *Rein-  
king. de Reg. Sec. & Eccl. l. 2. cl. 3.*  
*c. 2.*

35.

Quemadmodum autem Magi-  
stratus subditum, ita Dominus  
Feudi Vasallum defendere tenetur:  
Fidelitatis enim obligatio, descen-

dit ex contractu bilateralis, unde  
ad paria Dominus territorii subdi-  
tis, *de quo Th. 31. & Dominus Feu-  
di Vasallo fere tenetur 2. F. 6. 52. §*  
*ult.* Dandum tamen est honori Do-  
mini Feudi, ut ipsi sine Juramen-  
to, mutuas vices pollicenti creda-  
tur, cum præcipue illustris perso-  
næ assertio, habeat vim juramen-  
ti; Tum etiam nullo feudorum  
placito cautum est, ut Dominus  
fidelitatis juramentum Vasallo  
præstet, utpote qui majorem de  
Domino habet fiduciam, quod  
in promissâ fide mansurus sit,  
quàm de Vasallo, cum nec Ille  
habeat beneficiû, sed Hic; Adeoq;  
conferes cum accipiente nõ prælu-  
mitur semper ad paria obligatus.  
*Carpz. D. F. 6. Th. 23. Rittersh. de Feud.*  
*c. 10. q. 12. Jacob. d. S. Georg. d. l. n.*  
*16.* Nisi consuetudine aliud sit re-  
ceptum: cui Germanicum illud:  
*helt Herr helt Knecht* convenit.

36.

Cum vero Saniores Gentes,  
Principibus noviter inaugurandis,  
certas præscribant leges secundum  
quas Hi debent Imperare, & Illi  
volunt obedire ut docet *Limn. Ca-  
pit. Imp. Proleg. sect. 9.* Ita Vasalli  
mediante investitura simul cum  
Dominis conveniunt de modo &  
ratione assistendi. Unde descen-  
dunt servitia illa determinata,  
*Germa. gemessene Dienste* tam à  
subdi-

B 2



Subditis quã Vafallis tempore belli præstanda. Ne Dominorum potestas in libidinem defæviat, officiumq; Principis excedat. Et si talis modus Domino lege vel consuetudine fuerit præfinitus, nec Subditus nec Vafallus Domino extra territorium belligeranti servitia præstabit. Ita nec Imperator militem Imperii citra Statuum contentum extra Imperii terminos ducere potest. *Cap. Ferd. IV. art. 13.*

37.

Tutius etiam est si bellum susceptum sit vel suscipiendum, ut generatur in solo hostico, quod 1. ex communi Istorum axiomate probamus, quo tutius est prævenire quam præveniri, cum præsertim valde periculosum sit, primum sustinere. idem, *arg. l. fin. C. in quib. caus. rest.* 2. Si bellum domi geratur propriæ vires enervantur, unde verum est quod Philippus Hassiacus dixit, *Es ist guth sein Pferd an eines frembden Herren Krippen binden*, alias domesticum solum tam proprios milites quam hostem alere tenetur. 3. Si hostis domi expectatur, facile victi totâ ditione exuuntur, quia se colligendi, ansa circumciditur. 4. Qui hostem invadit semper est audacior, cum major audacia sit vim inferentis, quam su-

stinentis *Liv. l. 21. 5.* Victoria in hostico parta amplior & honorabilior est, & minori cum subditorum interitu ac clade conjuncta *Scip. Amir. ad Tacit. l. 18. disc. 2. Bodin. 5. de Repb. 15. Machiav. 2. de Repb. 12.* Interim temporis lociq; circumstantia contrarium sæpe svadere videtur *Besold. 2. Polit. c. 2. §. 4. n. 27.*

38.

Quæritur autem an Subditus & Vafallus propriis sumtibus militare debeant? Quod in *Thefi.* omnino dicendum videtur, modo Subditi facultates, & Vafalli proventus feudales hoc permittant *Clar. §. Feudum q. 21.* Ubi enim quis servit impellente Juris necessitate, servire debet propriis impensis, ita ut nec Dominus teneatur postea ad restitutionem *Surd. de Alimtit. l. 9. 66. n. 10. Arum. de jure Publ. V. 2. Disc. 29. Th. 4.* Feudum enim ad hoc datum censetur ut servitia inde præstentur *2. Feud. 23. §. ult.* Non tamen ineleganter DD. hic dist. inter sumtus, in & extra Imperium necessarios *Finckelth. Obs. 87.* Si verò feudum adeo tenue fuerit, vel facultas subditi ita exigua ut requisitis sumtibus tam ad apparatus quam ad victum bellicum necessariis sufficere non possit, Dominus illos suppeditare debet, quia iniquum foret, à Vafallo

fallo plus exigere, quam feudi sunt reditus, cum & feudum beneficium esse debeat 2. F. 23. *Zas. de Feud. p. 7. n. 44. Carpz. D. F. 8. Th. 23.* Nec subditus ultra posse obligari potest.

39.

Hæc autem eo dum tantum civiliter vera sunt, donec pactis vel consuetudine aliud constitutum fuerit, Jus commune enim ex statuto ac consuetudine utentium interpretationem recipit *l. 37. de Legib. junct. l. 9. de J. & J.* Quemadmodum enim Subditi cum Dominis territorii, ita Vasalli cum Dominis feudi, de sumptibus ad præstanda servitia necessariis convenire solent, quod etiam ex pactis Rostochiensibus clarescit *Erbyterrag p. 15. 16.* tunc enim unusquisq; quod spondit præstare tenetur *l. 18. 20. de oper. libert.* Ita & Status Imperii, qui cum Imperatore unum corpus constituunt *Limn. l. 1. c. 7. n. 50. Bertram. de Comit. §. 16.* Licet sint simul Subditi ac Vasalli Imperii, adeoq; simul Subditi ac Vasalli onera subeant, quia non tantum feloniam sed etiam crimen Majestatis committere in Imperatorem & Imperium possunt. *Limn. de J. P. l. 4. c. 7. n. 44.* tamen ad certa tantum onera ordinarie sunt obligati per formam matriculæ nach des Reichs An-

schlag/ und nach dem Römerzug/ determinatâ quantitate cuiq; assignatâ *VVehn. Observ. verb. Matricul. Limn. d. l. n. 16. & seqq.* Quæ si augetur dicuntur indictio doppeltte Schätzung si minuatur ein halber Römerzug / & quandoq; in pecunia quandoq; pro necessitate Imperii in milite consistit *Myler. de Princ. & Stat. Imp. c. 97.*

40.

Neutrales etiam esse Prohibentur Fœderati, confœderatus enim punire debet hostes confœderati sui *l. 7. in fin. de capt. & postl.* quia fœdera in Pace fiunt ad securitatem, in bello autem ad auxilia mutuo præstanda, adeoq; vel sunt defensiva vel offensiva. Quemadmodum enim inter privatos infelix est, qui omni amico destituitur; Ita Respub. ad interitum proxima est, si fœderato destituitur subsidio; quod *Lais experta est Judic. 18. vs. 7. 28.* Fœdera enim optimum pharmacum sunt, contra insidias & molitiones hostium *Erenb. de Fœd. 2. Reink. l. 2. cl. 3. c. 3. n. 13.* Unde *Morus l. 2. de Utop.* parcius merito commendare debuisset illas gentes, quæ nullo fœderis jure tenentur. Et si fœdus cum Impiis initum fuerit, servandum est, nam ubi fidem dare fas est, ibi fidem frangere nefas est *Bodin. l. 5. de Reb. c. 6.* Unde

B 3

notiss.

norissima est Vladislai Ungariæ Regis frangentis fœdus cum Amurache Turcarum Rege initum clades & querela. Licet enim cum Impiis non facile fœdus sit incundum, *Gæhaus per. Acad. p. 2. q. 10.* tamen initum est servandum.

41.

Fœdus autem Belli & Pacis æquale, hac clausulâ ut plurimum solet firmari: *Ut bellum sit commune, nec Pax cum hoste ineatur, sine utriusq; partis consensu.* Ejusq; effectus hic est, ut confœderati conjunctis utriq; viribus agant, hostemq; communem adoriantur, nec pax nisi communi consilio ineatur. Hæc enim est naturalis æquitatis regula, quam fallere vel non implere Illustri præfertim viro grave est. Nisi forte justa ratio subsit, quæ belli finem altero licet confœderatorum dissentiente svadeat, quoniam societatis in æternum nulla coitio est *l. 70. ff. pro soc. vid. Heig. p. 1. q. 11.*

42.

Si autem fœdera fuerint inæqualia, itidem promittens defensionem ac assistentiam eam ex pacto convento adimplere debet. Panguntur autem fœdera inæqualia, aut ex parte digniori, aut ex minusdigna. ILLA sunt per promissionem Protectionis, wann es ner sich zum SchirmHerrn erklä-

ret/ obligatus autem est Patronus suos defendere/ clientes cum omnibus bonis *Zaf. l. 1. Conf. 7. n. 6.* contra omnem injuriam & vim *l. 7. §. 1. de capt.* fit autem protectio illa sumtibus clientis *Gail. obs. 54.* nisi conventionem aliud sit placitum *arg. l. 23. de R. J.* Status autem Imperii alterius status subditos illo invito in clientelam suscipere nequeunt *A. B. tit. 15. ubi DD. R. J. de Ao. 1529.* Wie auch Chursürsten *de Ao. 1555. §. es sol auch kein Stand.* Nisi Imperator sit *R. J. de Ao. 1530. §.* Item wie hiebevör. Vel summa necessitas hoc exigat. Subditos enim tueri ad magistratum ordinarium pertinet *l. 6. §. 2. de Off. Præs. Steph. de Jdici. l. 2. p. 2. c. 7. n. 108. Reink l. 1. cl. 5. c. 4 n. 59* Haud etiam dissimulandum est, jus clientelare proximum esse ad jus subjectionis, adeoq; primus gradus post protectionem est invasio. Inferiores enim facile superioris Protectoris Imperio cedunt, secundum vulgarum illud *SchirmHerren seyn offit SturmHerren.*

43.

HÆC per conditionatâ ditione: Talem fœderis conventionem habet *Liv. l. 9. Teates Apuli impetraverunt, ut fœdus daretur, neq; ut æquo tamen fœdere, sed ut in ditione populi Romani essent.* Ea; duplex est Altera magis coacta quando

quando quis bello coactus gratia hostis se committere debet, legemq; à victore accipere Wann sich einer auff Gnad und Bgnad muß ergeben. Horum enim conditio miserabilior censetur, quam illorum, qui inter privatos bonis cedunt, quippe qui Jure Gentium occidi possunt *Grot. de J. P. & B. l. 3. c. 4. n. 10.* nisi in tempore se dedant, tunc enim illos interficere sævum foret *Grot. l. 3. c. 11. n. 14.* Altera magis libera, quando bonis conditionibus hostis cum hoste paciscitur Wann eine Stadt mit Accord übergeben / tunc enim fides hosti data, est servanda; Victor enim tenetur si ita pactum sit, victum defendere; Victus autem, debet ex pacto vel victori assistere, vel adversæ ejus parti nullas in posterum suppeditare vires.

44.

Sed quid si fœderati plures fuerint, qui inter se bellum gerant? cui assistendum? Primò notandum: Si bellum ab alterâ fortè parte fuerit injustum, ad injustum bellum nulla intelligitur obligatio, propter malam conscientiam, quæ ædificat in Gehennam: Illi itaq; assistendum qui causam habet notoriè justam, ut defendatur. Secundo si causæ utrinq; sint injustæ utraq; parte abstinendum est, si

commodè id fieri possit: Sin minus per rationem naturalem antiquiori, per rationem autem civilem, illi, cui victoriæ spes affulget. Tertiò si causæ utrinq; fuerint justæ? fere illud repetendum quod ad membrum secundum est responsum: Sci. Si neutralem sese gerere non licet, vel antiquiori assistendum amico, quoniam nova amicitia ita iniri debet, ne quæ vetustior amicitia ac societas violetur. *Grot. l. 2. c. 15. n. 13.* & liga secunda sine præjudicio primæ censetur facta *VVarem. ab Erenb. de Fæder. c. 2. n. 38.* Nisi diviso auxilio utrinq; satisfieri possit *arg. l. 23 ff. de oper. liberi? Alber. Gent. de Bell. l. 3. c. 18.* Vel propter rationem status illi, ad quam belli victoria videtur inclinare, vel qui proximior est ad juvandum; quia plus valet baculus retro ostium, quam gladius in plateâ.

45.

Et si Status Imperii ad conservandam Pacem publicam, vel inter se, vel cum exteris Principibus, fœdera pangant; Quod licitum esse libertas Germanorum principum exigit *A. B. c. 15. ubi DD. Instr. Pac. §. 8. Ramel. ad A. B. p. 2. diss. 4. c. 32. Carpz. ad L. Reg. c. 6. s. 1.* Semper in omni tali confœderatione excepta esse debet salus Imperii & Imperatoris

eis *Reink. l. 2. cl. 3. c. 3. n. 27.* etiam si nulla hujus fiat mentio. Unde *Sachs. Landr. l. 2. a. 1. Wo Fürsten und Herren mit Eyden zusammen schwören / sie scheiden denn das Reich daraus / so haben sie wider das Reich gemisshandelt.* eo etiam tendit formula Juramenti fidelitatis à Statib. Imperii præstanda *Be-sold. de stat. reipb. subaltern. c. 3. n. 2.* Imperatoris tamen consensus ad fœdera ineunda non est necessarius, licet de fœderibus initis cognoscat. *vid. Limn. de J. P. l. 4. c. 8. n. 17.*

46.

Neutrales esse non debent Cives Unius Reipb. qui communi Jure utuntur: Differt autem cives à subdito præcipuè, quod ille respiciat Rempb. ejusq; summum membrum esse possit; Hic autem ad Magistratum refertur cujus Jurisdictioni est subjectus, & cujus jussui parere necesse habet. Si itaq; vis externa Imperium invadat, commune malum, communibus viribus repellendum, quia turpe est propter privatas similitates & odia, externo hosti victoriæ causam præbere. Cum præcipuè commune periculum concordia sit propulsandum *Tac. in Agric.* Deinde ad defensionem Patriæ cui vitam & vires debemus omnes sumus nati, pro quâ oppetere gloriosum & fugere turpe

est. Illi siquidem in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur qui pro Patriâ ceciderunt *pr. J. de Excus. Tut.*

47.

Quantum itaq; ad Imperium nostrum attinet quod unum corpus constituit, ex capite & membris collatum. Sive externus hostis repellendus; Sive intestini motus & rebelles subditi sedandi; Sive Pacis publicæ violatores tanquam prædones & Latrones als *Greybeuter und gardenten Knechte* eliminandi, communis Statuum assistentia exigitur; *Myler. de Princ. & stat. Imper. c. 94.* Ideo enim status Imperii in Matriculam recepti sunt, ut pro Imperio ejusq; membris perpetuo militent *Limn. l. 4. c. 8. n. 141. Knich. de Jur. serr. c. 1. n. 161.* & quidem per mensem propriis sumibus, interdum tamen bonis Imperii *R. J. de Ao. 1520. 1526. S. damit auch vid. Limn. d. l. n. 248. & seqq.* Ideo etiam decem Circuli constituti sunt & in singulis aliquis belli Dux der *Krañß Obrister R. J. de Ao. 1512. S. Dar auff haben & R. J. de Anno 1522,* ut Imperio ejusq; membris eo citius contra omnem vim internam & externam succurratur. *Zolner. de Reg. Rom. Elect. Th. 8. lit. A.* Quod si quis assistere nolit, mandata sine clausula contra eum Imperiali auctoritate

toritate decernuntur. Ergo neutralis esse nequit qui per mandata Imperatoris cogitur alterutri assistere *Neymayr. de Neutral. c. 2 n. 41. R. J. de Anno 1567. § So fern.*

48.

Quæritur hic, An Status Imperii exterorum Principum bellis, adeoq; militiæ peregrinæ interesse possint? Aff. Tum ex antiquis Germanorum moribus, quibus turpe ac probrosum erat domi desidere *Tac. de Mor. Germ. c. 13. 14.* Tum ex libertate Principum Germanorum, quam approbat *R. J. de Anno 1570. S. denselben de Anno 1582 §. fern 1544. §. und wiewohl/ Paurmeist. de Jurisd. l. 1. c. 3. n. 22.* Licet in aliis regnis non idem sit permissum *Bodin. de Reph. l. 1. c. 6. n. 28.* Hæc ramen bellandi licentia merito limitatur, si externus Princeps contra Imperium, ejusq; membra aliquid molitus fuerit, vel si ipsa Patria nostra ad suam defensionem milite indigeat *dd. RR. J. Linn. l. 4. c. 8. n. 13.*

49.

Neutrales etiam esse nequeunt, qui evidentissimum periculum interitus jure expavescent. Licet enim injustissimum Christianis videatur esse bellum, quod ex mera diffidentiâ oritur *Johan. à Chok. in*

*Onos. Strateg. c. 4.* attamen legitimum ac necessarium, ex vicino periculo & victoriâ fieri potest. Ne vicini spolia arment victorem eumq; potentiorẽ efficiant. Tunc certè nec prudentia est, nolle cum vicinis in bello periclitari, quorum ruina nostri funeris causa est *Althus. Pol. c. 34. in fin.* Quando enim vicinus nimis crescit, resistendum Statistæ dicunt, ne vires illius in vicini oppressionem insolecant *Scip. Amir. l. 20. disc. 11. Bel. 2. Pol. c. 5. n. 28.* Nam qui rerum potiuntur Jus imbecillioribus interpretantur. Nec hic sufficit actio quod metus causa: Quia eam potentia potentioris Jura in armis gerentis excludit. Causa autem communis esse censetur & periculû præsentissimum; Tunc, quando vicinus debellatur ex illa causa, quæ parta victoria, contra neutralem etiam locum habere potest.

50.

Nec Neutrales esse debent, qui communem religionem defendunt, etiam contra Imperatorem, modo tamè cautè & non offensive sed defensiva cõtra hunc procedãt. *Coler. de Jur. Imper. § 72. Goehans. Per. Acad. 11. quæst. 13. Neymayr. de Neutral. c. 2. n. 9.* Nec qui propter belligerantium expilationes consumuntur. Inde *Dane. Aphor. 13.*

C

ex lib.

ex lib. 13. ann. Tac. Quæ provin-  
ciæ inter vicina Imperia magna  
intermediæ jacent, sunt utriusq;  
Imperii direptioni & injuriis ob-  
noxia, ergo ut ab evidenti interitu  
se liberent, in alteram partem  
merito inclinant, ne planè per-  
dantur.

§1.

Ubi autem alteri parti assisten-  
dum necessitatis ratio svadet, ma-  
ture agendum est ubi res festinati-  
one indiget, cum inter ancipitia  
deterrimum sit medium sequi Tac.  
l. 3. Hist. Nec cunctatione opus,  
Idem l. Hist. 21. n. 4. asserit, ubi  
perniciosior quies, quam temeritas.  
Inter cunctandum enim spa-  
tium futuro hosti conceditur, ut  
sibi interim prospiciat, ac consu-  
lenti vires magis atterat: Nam  
dum tempus in consiliū vocat-  
ur optima spes futuræ victoriæ  
sepe elabatur, nec capillum habet  
in occipite, quo detineri possit.  
In rebus itaq; desperatis, & in qui-  
bus remedio citissimo est opus,  
semper est deterrimum media  
consilia ancipitia, & cunctationes  
sequi Piccart. Obs. Pol. dec. 5. c.  
4. Imo cunctanti illud turpiter  
objici solet; quod olim Romanis:  
Dum Romæ consultatur, Saguntum  
expugnatur.

§2.

Postquam verò ad assistendum

consilia sunt præparata, cautè in-  
ter duos ex æquo belligerantes  
videndum, cui assistendum sit.  
Non itaq; indistinctè pluribus:  
quoniam haud facillè firmum ma-  
net, quod ex pluribus constat ca-  
pitibus, nam & plurium plures  
sunt fines, dum quisq; propriam  
spectat utilitatem, & suspicione  
contemptus præmitur Machiav. de  
Repb. l. 3. c. 11. quò enim magis  
crescit numerus confederatorum  
eò fiunt imbecilliores Richter.  
Axiom. Pol. 277. Nisi unum caput  
sit quod aliis ex pacto legem præ-  
scribere possit. Nec semper po-  
tentiori pecuniâ & regionum  
multitudine assistendum, nisi &  
militem habuerit exercitatum &  
causam justiore, quæ victoriam  
pollicetur, vid. Neuvmayr. de Neu-  
tral. c. 11. & Besold. l. 2. Polit. c. 7.  
n. 15.

§3.

Sequitur ut videamus de illis  
Qui debent esse neutrales:  
Tales sunt 1. Illi quibus non com-  
petit jus belli. Cum autem tri-  
plex sit reipb. status: Quo vel u-  
nus imperat, vel optimates, vel  
singuli; Illis solis belli geren-  
di potestas competit, quibus sum-  
mâ in quovis Statu potestas Po-  
puli & in Populum data est: Neq;  
enim autoritas privatorum hæc  
est, ut concire multitudinem va-  
leat

*Leat. 4. 23. 9. 1. Clapm. de Arcan. Rev. l. 1. c. 2.* Privati itaq; si causa publica fuerit, ex mandato demum superioris arma sumunt: Si privata, non ad iudicium Martis, sed Juris decurrere debent *l. 14. ff. quod met. causa. Gentil. de Jur. Bell. l. 1. c. 3.* Unde Leges Romanæ pro latrocinio reputant bellum, quod non ab ipso populo, vel illo, qui jus populi habet est indictum *l. 118. de V. S. & Lex Julia majestatis eum tenet qui injussu Principis bellum gerit l. 3. ad L. Jul. Maj.* Status tamen Imperii nostri, quoniam de Summo Imperii Jure participant, jure belli non destituuntur, adeoq; necessitate urgente si causa justa sit, bellum suscipere possunt *A. B. c. 17. in fin.* Si autem sine justâ causa arma moverint, in Camera Imperiali, vel in Aula Cæsarea decernuntur mandata avocatoria sub pœna banni *R. J. de Anno 1527. S. und damit R. J. de Anno 1530. S. wo Jaber O. C. p. 2. t. 9. S. und ob sich.*

54.

Deinde Neutrales etiam esse debent, qui ex pacto neutralitatem promiserunt: Nec refert sive sponte sive vi coacti se obligarint, qui enim sponte se obstrinxit, ad id præstandum postea invitus tenetur *arg. l. 5. C. de O & A* Nec actionem vis metusve inten-

rare potest, qui ex præcedenti justa causa compellitur, cum præcipue Jure Belli & Pacis, postquam Sponsiones ultero citroq; intervenerunt, non incurrant amplius in justitiæ opinionem respectu causæ impellentis: Sed ob celsitudinem contrahentium servantur in vim fiduciæ & pacis publicæ *arg. l. 7. ff. de pact.*

55.

Neutralis insuper is esse debet, qui ad sustinendum belligerantium impetus, & ad juvandum est imbecillis. Cum ridiculum sit inani reputatione excæcatum in bellum progredi, & ad auxilium potius nomen, quam præsidium afferre: Hic enim periculum habet metuendum tum ab hoste, cui viribus est impar, & cujus primum ictum vix sustinere potest. Tum à socio si eum habeat potentior: Quia plerumq; Leonina societas est, quæ cum superiori iniur, in quo hic victoriæ fructum sibi soli vendicat, inde Germ: *Es ist böß Gâste laden/ deren der Wirth nicht mächtig ist.* Præsertim cum Principes ex suis utilitatibus amicitiam & inimicitiam æstimare soleant, ut potentior imbecilliorum juxta coerceat.

56.

Quando bellum est intestinum inconsiderate agit, qui funestis illis moribus

C2

moribus



moribus se immiscet, quoniam illis tunc rei deciso committenda est, quibus de jure hoc competat. Ita Pompeio denunciante, pro hostibus se habiturum, qui reip. defuissent: Ipse Caesar medios & neutrius partis, suorum sibi numero futuros pronuntiavit Suet. in Jul. Caf. c. 75. Quiq; in bello isto civili neutrales manserunt insignes prudentiæ fructus reportarunt. Et provide satis, adjuvante naturâ loci ac territorii Illustris: Comes ab Oldenburg inter tot belli Germanici flammâs, in suam suorumq; salutem neutralis substitit. Illi siquidem qui civili bello exardentibus assistunt, seditioni potius quam paci publicæ facem præbent: Cum civile bellum sit vicina seditionis species. Tum si ad Imperium nostrum respexerimus, lex imperii suadet, ut status Imperii potius ad Imperatorem & Imperium se convertant, quam ut membris ultro citroq; belligerantibus opem ferant: tum ut Imperatori mandanti assistant, tum ut ad concordiam se interponant. Illudq; consilium olim Heinricho Duci Megapolitano feliciter cessit Chyt. in Chron. Sax. l. 14.

57.

Sequuntur jam Illi **QUI NEUTRALES ESSE**

**POSSUNT:** Tales sunt i. Qui Turò belligerantium conditionem intueri possunt, quiq; post prælium nec clades metuunt, viribus propriis confidentes. *Normay de Neutral. c. 7. n. 21.* Hos enim neutrales permanere non tantum salus populi exigat, verum & ipsorum belligerantium interest; Tum ut sint mediatores pacis, cum sæpè Principes bello fessi, tacite quidem pacem suspirant, quam sine pudore vix ambiunt *Korfn. in Tacit. p. m. 14.* Tum ut victi habeant asylum quo rempore cladis, ab extremo interitu se tueantur; Tum ut utriusq; amicitia quæ tuto servari potest servetur. Et hoc quantum prudenti fortitudine præclarius, tantum amplius exornat auctoritatem Principis neutralis. Alias non semper prudentiæ est, nolle cum aliis periclitari; sed demum ubi extra periculum post victoriam quis esse potest.

58.

II. Qui ex specula belli fortunam contemplantur, ut ex lapsu temporis videant quo eventus belli maxime respiciat, & cui parti potius sit assistendum, vel cui parti illi se associare volunt, qui ad victoriam ingens pondus afferre possunt, cuiq; parti subditi præcipue

cipue favent, cum nullum firmius sit praesidium Principibus, subditorum benevolentia *Senec. lib. 1. de Clem. Nervm. d. sr. c. 1. n. 34. 36.*

59.

III. Quorum vires ex vicinorum mutua contritione, in augmentum futurae spei crescunt. Quemadmodum enim in naturalibus unius corruptio est alterius generatio: Ita in Rebuspb. quia easdem vicissitudines sentiunt idem evenire solet, Hoc consilio Veneti ex aliorum bellis prudenti moderamine suas vires auxerunt. Qui autem hoc intendunt non tam inter belligerantes ad quietem publicam vota & consilia dirigunt, sed potius per cuniculos oleum flammis infundunt, ut belligerantium mentes magis instigentur, eorumq; vires debilius enerventur.

60.

IV. Qui illis quibus assistere volunt, duriores condiciones praefigere allaborant, neutrales esse possunt; Ut belligerantes inter spem metumve suspensos teneant. Is enim qui potissimum ejus auxilio indiget, eo duriores condiciones subire cogitur, quo periculum est praesentius. Ita Helvetii, cum Carol. V. Imperator & Franciscus I. Galliae Rex armis

concertarent, astute neutri partium videri cupiebant studere, ut opem suam carius venditarent *Paul. Jov. l. 35.* Quorsum hodie Batavorum procrastinata assistentia respexerit, rerum exitus Danos docebit.

61.

Illi autem, qui tantum Neutrales sunt, eo sine ut exitu belli effectivè fruantur, quique neutralitatem in hoc tantum simulant, ut bonam assistendi occasionem arripiant. Ponderare debent 1. causae justitiam, quam, si in evitabilis necessitas extorserit victoriam ultro polliceri videtur; quoniam bella non necessaria & injusta infelices solent habere progressus, & tragicos exitus. 2. vires tum proprias, tum hostis, quae uti communis Politicorum schola errat, non tam in divitiis quam in exercitato milite & perito Duce resident. Inde veteres Germani, plus reponabant in Duce quam in exercitu *Tac. de Morib. Germ. c. 38.* magisque timendus est exercitus cervorum cui Leo praestit, quam Leonum cui cervus Dux est. Si autem exinde vera discretio haud desumi poterit; Illi potius assistendum cujus aperta invasioni territorium nostrum subjectum est: Amissa enim semel Regio raro vel difficulter revertitur ad Domi-

C 3

num.

num. Ita Dux Sabandiae Gallo-  
rutilus quam Hispano affistit, quia  
ab illis citius, quam ab his Ducat-  
us sui ruinam metuere debet.

62.

**Quomodo neutralitas**  
ineatur videndum se offert. Ut  
ut autem hoc potius in facto quam  
jure videatur consistere, tamen  
ex jure quid legitime fit vel fieri  
debet decernendum est. Modi  
enim tam veterum, quam recen-  
tiorum sunt diversi. Initur autem  
Neutralitas in se, vel Sponte vel  
Coactè: Sponte quando sine præ-  
viâ necessitate Princeps aliquis al-  
geri neutralitatis jura pollicetur.  
Coactè autem, quando victoris  
arbitrio victus acquiescere tene-  
tur, & proinde neutralitatem po-  
tius amplectitur, ac neutralitatis  
jura promittit, quam ut planè suc-  
cumbat. Licet enim hæc armo-  
rum quies Principi dura vide-  
atur, attramen periculo instante,  
ac interitum prælagiente, melius  
est in hostis præsidio salutem qua-  
rere, quam funditus perire *Arnif.*  
*de Jur. Maj. l. 1. c. 6.*

63.

Initur autem hæc societas vel  
jurata vel nudâ conventionem: Et  
quemadmodum *illa* metu vindi-  
ctæ divinæ arctiorem fiduciæ præ-  
sumptionem facit; Ita *Hæc* illu-  
stri viro instar juramenti est. Quo-

niam Principis verbum tantum  
valere debet, quantum privati ju-  
rumentum, cum fidem fallere gra-  
vi præsertim viro grave sit *l. 1. de*  
*const. pec. inde Quib.*

*Nudo jus & reverentia verbo*  
*Regis inesse solet, quovis juramine*  
*major.*

Quidquid itaq; Principes bey  
Fürstlicher Treu und Glauben /  
promittunt, vim juramenti im-  
plicat *Speskh. cent. 1. q. 4. VVesenb.*  
*de J. J. n. 6.*

64.

Tum etiam iniri solet Neutralitas  
quemadmodum conventio fœde-  
rum; vel in longum vel in breve  
tempus. Sapit enim Neutralitas  
naturam iuduciarum, sed ulterius  
quam hæc obligat, quoniam *Primo*  
induciæ tantum usum armorum  
inter hostes suspendunt: Neutra-  
litas autem etiam inter amicos ini-  
tur. *Secundo* Induciæ semper præ-  
supponunt expressam partium  
conventionem: Neutralitas sæpe  
ipso jure competit, quatenus me-  
dii status Principes, belligeran-  
tium motibus se non immiscunt.  
*Tertio* Finis induciarum est, ut de  
futura Pace belligerantes conveni-  
ant; Neutralitas autem longe ali-  
um præsupponit finem, scilicet ne  
quis belli calamitates sustineat,  
vel potentiorum hostem metuen-  
dum habeat. Deinde etiam à fœ-  
derum

derum Jure differt Neutralitas quoniam illud, jus etiam pacis & commerciorum respicit: Hæc autem ad belligerantes tantum refertur. Sæpe tamen conveniunt.

65.

Verba autem in neutralitate in eunda, debent esse clara, ne quisquam sensum quem vellet, sibi affingendo, liberare se possit, & ne ex ambigua verborum significatione, speciosus oriatur perfidiae prætextus: Quoniam, pro pudor, nostris moribus pro utilitate pacifcentium & status ratione, sæpe verba & sermones interpretantur, ac mercenaria vel rabularum vel medicastrosum operâ apparenter colorantur: cum tamen rectæ interpretationis mensura, non tantum ex nudis verbis, sed etiam ex conjecturis aliis conjunctim sit consideranda; Quoniam in omni sermone 1. attendendum quid dictum sit, 2. quâ occasione, & 3. quâ mente. Adeoq; verba non sunt Judaicè interpretanda vel captanda *l. pen. ad exh.* sed ex natura rei, ac intentione dicentis explicanda; & ita potius improprianda, quàm ut actus recte gestus annulleretur, vel alter contrahentium decipiatur. Quare generaliter notandum, quod accipientis potius quam offerentis neutralitatem verba attendi debeant.

*H. Grot. de Jure P. & B. l. 2. c. 16. n. fin.*

66.

Ambiguitas ergo omnis, præsertim in actibus publicis primario est fugienda. Ne inde everfio Reipb. eveniat, unde præsidium præcipue bellicum conveniens, sperabatur. Neq; convenit simplicitati generosorum civium circa syllabarum & vocum sæquivocationes sophari, quoniam cum Regibus non scholastico sed regio more agendum est. Stulti ergo perfidiae effugio usi sunt Locri cum polliciti se pactis staturos, quamdiu terram hanc insisterent, & capita humeris gestarent; Terram calceamentis injectam & aliorum capita humeris imposita adjecerunt, quasi eo modo religione se possent exsolvere *Polyb l. 12. Grot. de Jure P. & B. l. 2. c. 16. n. 2.* Ita homines qui reddere promissit vivos, non mortuos reddere debet *Grot. de l. n. 5.* cum præcipue homo mortuus non nisi per ampliationem uti Logici loquuntur homo dicatur. Idem fere contigisse videtur Philippo Landgravio Hassiæ, cui cautum erat, daß Er mit einiger Gefängnis nicht beschweret werden sollte: Cum autem postea carceri manciparetur, ipsi literæ producuntur in quibus legebatur daß Er mit ewiger

etwiger Gefängnis etc. Sed masculinè respondit: sibi res esse cum Imperatore, non autem cum Scholastico Hortled. de caus. bell. Germ. Tom. 2. l. 3. c. 78. Sleidan. l. 19.

67.

Cum autem conventiones neutralitatis, non sint ultra ea de quibus inter Partes convenit extendenda, necessaria erit cautio, si plures fuerint belligerantes ut non specialiter cum uno, sed cum omnibus Ducibus pacta conficiantur: Ne unius postea dissensus totum negotium invertat, ac neutrali fiducia fretum, inopinata occasione funditus eliminat. Et si Respublica fuerit mixta, haud prodesse poterit fides à toto Principe data: Quando enim cum Imperante Imperium assem regiminis efficit, non illius consensus sufficit, sed hujus etiam ad majorem firmitatem jure requiritur. Deinde Si Principatus forte fuerit electivus, quemadmodum in belli Ducibus officium regulariter est mutabile ac transitorium, mortuo pacifcente facile promissum expiraret. In Imperrante neutralitatem pro speciali etiam cautione observandum ut omnes subditi, omnia loca, jura, ac circumstantiæ nominatim comprehendantur, quo omnes calum-

niantium iniquitates expellantur. H. Grot. d. l. n. 16.

68.

Ut autem majori fide promissum servetur, solent interdum obsides dari, modo ab utraq; modo ab unâ tantum parte, & hoc quidem quando victis neutralitas conceditur & injungitur. Illiq; in certo loco se sistere tenentur, ut pacta conventa & major securitas eo firmius serventur; eo enim sine obsides dantur, ut si dans à fide recedat. recipienti potestas sit, in corpus ac vitam ejus saviendi qui obles datus est. Quamvis vero ad firmitatem promissi non exigatur præcise & tanquam substantiale requisitum scriptura, quemadmodum nec ad alios contractus privatorum l. 12. C. de Probat. l. 4. ff. de Pign. attamen majoris securitatis ac firmioris probationis causa, valde consultum videtur, ut conventa & placita in scripturam redigantur, tum ut captiones & cavillationes evitentur, tum ut de clausulis promissi eo certius. Constet Arum. de Jur. P. Tom. 1. Dis. 28. n. 107.

69.

Quemadmodum autem nihil tam provide constitui potest, quin propter hominum facilitatem dissentendi rumpatur, ad majo-

maiores securitatem neutralitatis facere videtur, si arbitri constituantur quorum æquo iudicio controversia suborta possit sopiri. Est enim, ac semper fuit in more positum, ut populorum dissidia componantur amicorum ac sociorum sententiis & autoritate: Et eorum potissimum qui opibus ac potentia præstant cæteris *Bodin. l. 5. de Repb. c. 6. p. m. 389.* Ita in fœdere Svevico constitutum est *Das Schwabische Bunds. Gerichte* Hi enim arbitri in conservationem alicujus conventionis mutuo consensu constituti, hunc finem merito & ex conceptâ fiducia intendunt, ut conventa servantur; neve propter exiguam dissensionem publica quies turbetur.

70.

**Quomodo Neutrales se debeant gerere adversus belligerentes ordine sequitur.** In quo ferè maxima difficultas residet; adeoq; non tantum prudentiâ sed etiam singulari fortitudinis moderamine opus est, cum inter duos vicinos belligerentes vix humanum comprimere affectum quis potens sit, natura enim humana vel odit, vel amat; nec medium aliquod observare novit, aut duobus ex æquo favere vel

placere. Vix enim abest, quin ab altero belligerantium in neutralem suspicandi sumatur causa, quo magis in adversam videatur inclinare sententiam, cum præcipue Regum natura hæc sit, ut neminem vel hostem vel amicum habeant sed ex commodo atq; utilitate amicitias inimicitiasve metiantur; ac proinde facilem odii ansam arripiunt, ubi neutralem imbecillum ac invalidum conculcare possunt; dum victores semper à Neutralibus injuriam accepisse sibi imaginantur quando quod optant, illis denegatur. Deinde si potentiores illi fuerint, qui inter vicinos belli fluctus se & sua tuentur, facile etiam hostem eum declarant, cui inter belligerentes minime favent. Cum tamen ratio status tanquam lex necessitatis temporis sæpè cedendum svadeat, cujus necessitudinis præpotentem vim nemo prudens nesciat, privatos illos affectus Imperans provide refranare debet, quoniam Imperare nescit, qui dissimulare nescit. Unde sequentes cautelas præ aliis neutralis observare debet.

71.

1. Ut Imperii fines propriis viribus tueatur, suamq; rempb. eo curet cautius, quo vicinorum bellum est periculosius. Si enim in summa pace de bello maxime

D

consul-

consultandum sit, eo magis sollicitus sit ad belli apparatus neutralis, quo periculum est propinquius. Adeoq; in hoc apprimè vigilare debet, ne belligerantium militem in suum territorium admittat, eumq; si sanis rationibus avertere non poterit, vi potius reprimat; Ne alteri suspicio collusionis suboriatur, ac se tandem communi prædæ exponat, quatenus neutrius gratiam tranquillitate consilii sustinere potest: Præsertim si viribus propriis tantum confidat, ut ipse insolentes molestias evitare & cohibere possit.

72.

II. Utrumq; nec hostem nec socium habeat. Quamvis enim Neutralis vel odii vel favoris speciales habeat rationes, eas tamen propter salutem Reipb. procul habeat vel cautè dissimulet. Licet enim ex germana illa Germanorum fide amicus inimici sit utrinq; inimicus *Tac. de Morib. Germ. c. 31. Piccart. Observ. Polit. II. c. 8.* In publicis tamen illa privati affectus ratio jure populi est eliminanda; cum bellum non intuitu amicitiae, imò nec ratione interesse cognationis vel affinitatis sit suscipiendum, sed potius ad publicam utilitatem ac salutem: Inde quo odium magis intestinum, eo magis benevolæ mentis affectus præsul-

gere debet, & quo alter belligerantium vel amicitia vel cognatione proximior, eo in salutem populi gaudium victoriæ, & commiseratio interitus debet esse remotior: Ut omnis malæ suspitionis occasio evitetur.

73.

III. Alterutri belligerantium, nec directo nec obliq; assistendū. Qui enim verbo sunt neutrales, facto autem in alteram partem magis inclinant, ab illis quos oderrunt, durius æstimantur quam ipsi hostes: quoniam inter neutrales censerī non debent qui alterutri parti vel aperta vi, vel arcano subsidio prolixè assistunt, & ita uni parti favent: Neutrali enim optime convenit nulli parti favere vel repugnare. Tutius tamen est, si is, qui medius est, nihil faciat quo altera pars fiat validior & altera debilior, si præcipue causâ bellandi fuerit utrinq; executabilis *vid. Grot. de J. P. & B. l. 3. c. 17. n. 3.* Et hæc neutralitatis ratio in Instrumento Pacis Gallico-Cæsareo satis clarè est expressa § Et ut eo: *ibi: Alter alterius hostes præsentēs aut futuros, nullo unquam titulo vel prætextu vel ullius controversiæ bellicæ ratione contra alterum, armis pecunia, milite, commeatu, aliterve juvet, aut ullus &c.* Hostis enim est, qui fecit quod hostem decet, & amicus

& amicus est qui amici officium præstat. Licet enim is, qui neutralis est, lento velut igne à belligerantibus consumatur, tamen neutralitatem quam vel spontè vel coactè proficetur serena gratia debet tueri, ut ut belligerantium factiones in visceribus ægre persentiat.

74.

V. Nec Hostes alterutrius sunt alendi, vel nutriendi. Quemadmodum enim necare videtur qui alimenta denegat, *l. 4. ff. de agn. & al. lib.* ita vitam dare videtur qui victum & amictum nudato alterius hosti subministrat. Qui enim inter duos vicinos belligerantes esse vult, merito nomen quod proficetur intueri debet, quippe quod non patitur, egenti alterius hosti succurrere, licet in necessitate constitutus sit. Nam quamvis præceptum divinum egenti succurrendum suadeat: Illud tamen semper ita interpretandum est, quatenus excusabilis rerum & salutis propriæ circumstantia illud admittit, neq; in tertii præjudicium vergit. Et hac ratione omnis commiseratio Christiani amoris, & consideratio consanguinitatis, pro salute Reipb. ita temperanda est, ne in totius politiæ interitum vergat. Inde sæpe alimentorum ratio, quam vel na-

turalis affectus vel civile vinculum exigere videtur, procul habenda, quatenus aliter civilis societas & ordo parentium & imperantium sanus esse nequit.

75.

Interim Neutrales libero negotiorum commercio cum utroq; belligerantiū uti possunt, cum & communi jure salubriter constitutum sit, ut mercatores seu negotiatores congrua securitate & libertate fruatur *et fin. extra de treug. & Pac.* ideo ubiq; & abeundo & redeundo in transmutandis, emendis & vendendis mercibus securi esse debent. Unde Imperator Fridericus III. eos etiam in bellis publicis securos à violentia hostili esse voluit *Johan Georg. Becht. de secur. & saly. cond. §. 241.* Negotiator autem is est, qui res mobiles negotiandi causa importat & exportat venum *l. un. C. de Nun.* hac libertate tamen nec fruuntur *Mangones l. 207 de V. S.* nec Illi, qui sub prætextu commerciorum illicitas merces alterutri belligerantium apportant, vel subsidia belli iisdem subministrant. *arg. l. un. C. de listor & iuin lib. 12.* Reliqui autem qui honestum lucrum quærunt & annonæ prospiciunt libere utiq; eunt & redeunt, modo cum utroq; belligerantium ex æquo agant: Quoniam semper si

D 2

partibus



partibus ultro citroq; favendum fuerit, ex æquo favendum est. *Thucid. lib. 2.*

76.

VI. Cavere etiam debent Neutrales ne utrinq; ad excitandum acerbius bellum facem præbeant, neve utramq; partem in irreconciliabilem discordiam deductam fallant, dum proprium commodum per fas & nefas sequuntur. Hi enim licet verbo se neutrales declarent re tamen faces utrinq; ad bellum inflammandum clam suppeditant. Quando enim privati tam subdole alios committunt crimen stellationatus committere dicuntur, qui delicti poenam merito laüt *l. 3. ff. de Stellation.* Is qui Principum animos adeo exasperat, dum sibi cavet, ut utramq; partem possit fallere, enervare & tandem vincere, majori certe nota dignus; cum talis veteratoria calliditas ut plurimum ipsius fraudantis interitum procurare soleat; Nec talis fraus vix diu latere possit, *Richter. Axiom. Pol. 246.* Nihil autem Principi, qui Neutralis inter belligerantes & vicinus est, tutius ac dignius quam ad concordiam belligerantes sedulo hortari & ab iis impiis fraudibus abstinere, ac potius bello implicitos à funesto interitu ad Pacem revocare *Bodin.*

*Repb. l. 5. c. ult. p. m. 591.* Si ta-

men Neutralis alicuius suæ salutis consulere haud possit, videbimus an nõ aliqua ratione partes potius ad mutua bella incitare possit, ut præsens exitium effugiat, quam ad pacem.

77.

Alias Neutralis sedulo & serio inter belligerantes debet tentare pacem, eo enim se magis amicum reddit belligerantibus, si honestas pacis rationes ac conditiones ultro citroq; moverit. Si enim Pacem procuraverit sibi, præter firmam securitatem, nunquam intermoricuram gloriam, & aliis Pacem tanquam inestimabile bonum acquireret. Ex quo capite Sigismundus I. Rex Poloniae laudatur, dum nec Carolo V. nec Protestantibus assistere, sed honestas pacis condiciones incerto lucro præferre voluit, Quamvis autem statim ab initio iratos animos ad tranquillam pacis conditionem impellere non possit, attamen tractu temporis media haud deerint, per quæ partes ad amicam transactionem hortari valeat. Illi enim, qui diu bella inter se gesserunt, tandem acceptarum calamitatum tædio tenentur, pacis condiciones quas petere pudet, summo desiderio acceptant *Bodin. d. l.*

78.

Non imputabitur autem Neutrali

trali in sequiorem partem; si inter duos belligerantes, tanquam in acie novacula constitutus, sibi & suis non tantum de annona, verum etiam de congrua defensione prospexerit, quo tutius contra periculosas belligerantium irruptiones se defendere possit. Inde non tantum Principes summi ut Imperator & alii Reges in statu Monarchio, verum etiam aliarum Rerumpublicarum Proceres & in imperio nostro Status sub titulo juris territorialis, de omnibus illis inter vicinos belligerantes solliciti esse possunt ac debent, quæ ad avertenda pericula & incursiones vagantium militum conducunt. Adeoq; I. erigere possunt ad annonæ prospiciendum, granaria, ad arma militibus subministranda, armamentaria R. J. de Anno 1555. §. Und demnach ein. II. conscribere militem R. J. de Anno 1525. §. Darzu sollen & de Anno 1530. §. demnach soll auch. III. Subditos suos exercere in armatura & lustrare. R. J. de Anno 1555. §. Nach dem aber. R. J. de Anno 1564. §. Ferner diereit. Knich. de Jur. terr. c. 3. n. 413. Reink. l. 1. cl. 1. c. 6. n. 13. vid. Coras. l. 1. Miscell. c. n. IV. Prohibere ne frumenta & arma extra territorium evehantur May. ad Jus. Lub. l. 1. t. 2. a. 2. n. 34 V. Arces & fortalitia etiam non

requisito Imperatore erigere R. J. de Anno 1567. §. Wie wohl wir nun Limm. de J. P. 4. c. 8. n. 235. VI. Præfidiarios milites in civitates ac arces ponere Becht. de Secur. concl. 46. Knich. de Jure Terr. c. 3. n. 468. VII. Civibus Jus hospitadi injungere die Einquartierung D. Tabor. de Metat. c. 6. VIII. Subditos ad sequulam convocare die Untertanen/oder den Ausschuss auffbieten. IX. Illos ad peragendas excubias necessitatis tempore cogere Berl. p. 2. concl. 64. n. 10. arg. l. pen. ff. de oper. lib. Et ut metus motus publici eo citius & facilius comprimat ac hostiles exactiones prohibeantur, ad tuitionem pacis & tranquillitatis publicæ Circuli & eorum Duces constituti sunt R. J. de Anno 1555: 1559. 1564. Quorum tamen auxilium sæpe magis spectatur quam præstatur.

79.

Quamvis autem Statibus Imperii concessum sit conscribere militem, eumq; vigore antiquæ libertatis Germanicæ in auxilium & opem exterorum Principum educere R. J. de Anno 1570. tit. Verzeichnuß etlicher Puncten §. 1. modo tamen id fiat debito Imperatoris consensu Reink. l. 2. cl. 3. c. 2. n. 39. quibus astipulari videtur Instrumentum Pac. Gallico-Cælareum §. & ut eo sincerior ibi:

D3

Singulo

*Singulis tamen Statibus liberum sit huic illive Regno extra Imperii limites suppetias ferre, non tamen aliter (quod benenotandum) quam secundum Imperii constitutiones. tamen Regens Princeps provida circumspectione agere debet, ne litem faciat suam, propriamq; Provinciam in periculum præcipitet. Unde liberior Principum ultragenitorum der abgetheilten Herren videtur esse potestas, minusq; nociva, quam Regentium.*

80.

Ex hisce jam indagandum restat; An Princeps medius belligerantium militi transitum concedere debeat, vel an illum denegare possit? Si *Quæstio* fuerit ultro citroq; de Statibus Imperii, utiq; dicendum videtur, alterum statum alterius militi transitum denegare non posse, propter Jus viarum publicarum *l. 24. de damn. inf. l. 1. de viapubl. R. J. de Anno 1555. §. Wo sich aber modo tamen transiens in antecessum caveat de omni futuro damno resarciendo & præscitu Illorum, quorum secundum Imperii constitutiones interest R. J. de Anno 1598. §. Betreffent O. C. p. 2. t. 15. Denais. t. 190. n. 7. Frider. de Mand. c. 36. 38.*

81.

Quid si Exteri Belligerantes per territorium alicujus Status

Neutralis transire vellent? Utiq; hoc non erit ferendum aut concedendum *O. Cam. p. 2. t. 15.* adeoq; si Ipse Princeps ac Status, in cujus territorio subsistunt vel transitum quarunt, ad resistendum solus non suffecerit, Duci circuli totam causam enarrare, & commune auxilium ad profligandum invalores implorare debet: Qui officio suo secundum Pacem Publicam, & ordinationem executionis fungi debet, ut Imperium ejusve Status securi sint ab omni hostili incursionem & exactione *d.p. 2. t. 15. in fin. R. J. de Anno 1559. §. Dem zu begebenen p. 523* ibi: und wollen das keinem fremden Potentaten einiger Musterplatz / oder seines Krieges Volcks also beschwerlicher Durchzug / im N. Reich und desselben Kräyßen / gestattet werde etc. *Denais. Jus Camer. tit. 190.* ratio etiam Politica tales transitus dissuadere videtur: Ne Is qui eum ultero & sine resistantia vel legitima denunciatione vel mandatorum publicatione permittit, suspicionem assistentiæ incurrat. *Exempla habet Nevy mayr de Neutral. t. 8. n. 5.*

82.

Neq; etiam Potestatem conscribendi milites, Neutrales in suo territorio belligerantibus vicinis concedant. Licet enim Status Imperii

perii, ut quis alii Principes summi, in suis vel alienis territoriis consentiente Domino ad salutem Imperii milites conscribere possint, si præcipue Imperatoris vel Ducis circularis consensus accesserit R. J. de Anno 1542. §. Wann nun aber 1564. §. Demnach so *Limn. de J. P. l. 4. c. 8. n. 246. VVarem, de Erenb. de sæd. l. 1. c. 2. n. 56.* Tutius tamen fecerint Neutrales si vicinis belligerantibus ex ratione in thesi priori positâ, conscriptionem militem prohibuerint. Cum & alias in Imperio nostro nemo Exterorum Principum militem colligere possit, nisi Imperatoris consensum prius requisierit, & militum numerum & officialium nomina expresserit, eumq; in Imperatorem vel Imperium se non versurum nec transitu damnum daturum, nec intra Imperii fines delectum habiturum sufficienti cautione repromiserit R. J. de Anno 1570. §. *Dierweil dann solcher p. 600.*

83.

Ejus saluberrimæ ordinationis verba præcipua non modo lectionem sed etiam observantiam merentur, quia non tantum populi sed etiam totius Imperii ejusq; membrorum salutem tuentur, propter exorbitantes excessus, quos sanctè & graviter co-

ercent: ibi: *Ezen / ordnen und wollen / das hinführo ein jeder frembder Potentat / wer der auch sey / so im N. Reich Kriegesleute werben lassen wolle / zu vorderst bey Uns als Römischen Käyser / darumb ansuchen soll / mit außtrücklicher vermeldung / wie viel Kriegesleut er bestellen lassen wolle / welche die Obristen / Rittmeister und Hauptleute seyn; Dabeneben diese Erklärung und Zusage thun / das solch Kriegsvolck wieder uns / des N. Reichs Churfürsten / Fürsten / Stände und Untertanen nicht gebraucht werden / auch in den An. Durch. und Abzügen niemand beschweren / was sie verbrauchen / bezahlen / kein Musterplatz / noch Musterung / gleichfals kein abhandeln oder trennen / in des N. Reichs und dessen angehörigen Schirms Verwandten / Grund / Boden und Obrigkeit fürgenommen werden.*

84.

Nec hæc tantum in salutem Reipublicæ, hoc aut priori seculo introducta & constituta sunt; Cum eadem etiam antiquis Romanorum Legibus fuerint observata, Unde l. 6. §. 3. ff. de Off. Præsid. *Illicita ministeria sub prætextu adjuvantium militares viros ad concutiendos homines procedentia prohibere, & deprehensa coercere*

*cere Praes Provinciae curet.* Idq;  
ideo constitutum facile apparet,  
ne potentiores viri, humiliores  
injuriis afficiant *d. l. 6. §. 2.* Nec  
possumus dicere hasce Leges jam  
contraria consuetudine & quoti-  
dianis moribus esse abrogatas?  
Quando enim lex moribus hujus  
vel illius resistit, plura certe ad  
collendam legem publicam requirun-  
tur quam nudus alicujus usus, præ-  
sertim si potentior, qui cuncta  
ex jure belli, & armorum robore  
æstimat, contra legis vigorem  
quid conatus fuerit: cum Præ-  
cipue omnis consuetudo, ut vim  
legis habeat rectæ rationi debeat  
convenire, quod enim ratione  
non est introductum sed factum,  
illud in aliis similibus non obtinet  
*l. 39. ff. de L. L.*

85.

Nec etiam aliquem vel igno-  
rantia obæcatum vel malitia ob-  
duratum ita crederem, qui tam  
salutares Imperii Leges Funda-  
mentales hujus vel illius inexcus-  
abili abusu abrogatas sibi falso  
persuadeat. Cum Imperantes &  
Parentes promittere debeant sub  
auspicio Imperii, se pragmaticas  
illas sanctiones, & fundamentales  
Imperii constitutiones sancte &  
inviolabiliter servaturos, quibus  
tam Imperantium quam paren-  
tium salus & quies sustinetur.

Quoniam vero nihil salutarius est,  
quam ut fundamentales Imperii  
Leges sæpius renoventur; nimi-  
rum ut quodam loco *Macrobii*  
ait: *Queritur sepe novæ Legis au-  
thoritas, exolescente metu legis an-  
tiquioris.* Inde non tantum Instru-  
mento Pacis publicæ omnia re-  
novata sunt, quæ ad tutelam &  
securitatem antiquiorum consti-  
tutionum pertinent §. 17. ibi: *Ut  
etiam pax publica tanto melius con-  
servari possit, redintegrentur Circu-  
li, & statim ac undecumq; barbarum  
vel motuum aliqua initia apparent,  
observentur ea quæ in constitutioni-  
bus Imperii de P. P. executione &  
conservatione disposita sunt:* Sed  
& modernus Imperator *Leopoldus*,  
cui invictissimam victoriam  
contra Imperii hostes, & glorio-  
sissimum regimen precamur, non  
tantum in genere, sed etiam in  
specie has leges se servaturum ju-  
rata capitulatione promisit. Et  
quidem *art. 13. Capit:* non tantum  
ipse tales Statuum & subditorum  
oppressionibus non causam daturum  
verum & aliis hoc præter leges  
facturis prohibitorum jurato pol-  
licitus est: ibi: *Da auch von einem  
oder mehr Ständen des Reichs/  
oder auch frembde Regenten/  
der gleichen vorgenommen / und ein  
frembdes Krieges Volck in, oder  
durch das Reich / weme sie auch  
gehören*

gehören / unter was Schein oder  
Vorwand es immer seyn möchte /  
geführt würde / dasselbe wollen wir  
mit Ernst abschaffen / Gewalt mit  
Gewalt hincitreiben / und den be-  
leidigten Ständen / Hülf- Hand-  
und Rettungs Mittel kräftiglich  
wiederfahren / und nach Inhalt des  
Reichs Satz: un Executionis Ord-  
nung gegeben lassen. N c tantum  
hanc defensionem securitatis Im-  
perator statibus, verum etiam Sta-  
tus suis subditis promittere & præ-  
stare debent: Quemadmodum Se-  
renissimi Duces Mechlenb: p. m.  
per literas assecurationis idem suis  
Provincialibus promiserunt, p. 30.  
*ibi*: Wir sind auch zum acht und  
dreißigsten hinführo keine Laufplä-  
ge / oder Durchzüge in und durch  
unsre Fürstenthüme und Landen /  
oder je ander gestalt nicht / dann auf  
maß / wie in den Reichs Abschieden  
versehen / zuverstatten gänglich ge-  
meinet und entschlossen.

86.

Ex quibus patescit, quam cautè  
ac providè neutralis versari debet,  
ne flagranti inter vicinos bello se  
immisceat, cum sæpe iuvisse no-  
ceat, & in virtutibus periculum sit:  
Licet enim virtus bellica animo  
Principis in esse debeat, tamen ex-  
ercitium ejus utilitas publica di-

stare debet, ne absque prudentia  
vel in vitium, vel in exitium incon-  
sulta assistentia vertatur. Princeps  
enim non tam ut privatus specia-  
lem sui debet habere consideratio-  
nem, sed rationes suas dirigere de-  
bet ad univertum & commune Im-  
perium. Et quanquam in  
subdito privato commiseratio  
nunquam modum excedere po-  
test, in Principe tamen sæpe est no-  
xia. Ut Privatus in Alterius grati-  
am & præcipuè innocentis pericu-  
lum subeat, egregium facinus est,  
& laude dignum, at in Principe ta-  
le reprehendendum, si salutem pu-  
blicam duxerit in discrimen pro-  
alterius Principis salute: Nisi vel e-  
videns periculum, vel certum e-  
molumentum rationem moveat:  
Inde Regula sit Politica: *Bene age,  
& cave tibi.*

87.

Supereft ultimo despiciendum:  
**Quomodo belligerantes  
cum Neutralibus debeant  
vivere.** Hi autem vel sunt **PO-  
tentiores**, & cavendum provi-  
dè, ne iniquis molestiis irriterentur  
ad bellum, ac belligerantem ter-  
minos amici negligentem obruât.  
Facile enim causa belli datur quan-  
do belligerantium milites in con-

E

finis

Anno neutralium versantur, & Hi propensi ad bellum videntur qui victoriae spem potentia fovent & armis sibi pollicentur; adeoque saepe evenit ut Respublica unius momenti errorem perpetuo deplorare debeat. Ergo belligerans omnes casus novae litis vel metuendi motus praeventat ne vicino causa detur belli, ut periculum interitus inde oriatur. Cum per se vitium plura habendi & amplius dominandi in Principibus majus sit, quam plebeis; & imperandi gloria per causam suppeditata nec rationem excusationis admittit, nec ad Judicium Legum sed armorum provocat.

88.

Si autem Neutrales fuerint imbecilliores, belligerantes non tantum ad pacta & conventiones, sed etiam ad regulas aequitatis naturalis & mores gentium respicere debent. Quando enim Neutralitas vel jure, vel conventionione publica debetur, sine causa eam frangere haud debet Belligerans. Detestabilis enim videtur perfidia ejus qui datam fidem solam Imperandi utilitate meretur: Quo sceleris elogio Philippus Macedo valde inclaruit qui nullum Jus vel fas inviolatum reliquit. *Justin. l. 8. c. 3.* Et no-

ta est Lylandri levitas, qui censebat pueros taxillis, & viros Jure jurando esse decipiendos *Plutarch. invit. Lys.* Neque etiam Principi perivadendum, sibi qua expediat, aliis quam honestum eundum esse. Cum enim aliis omnibus quibus vel minima virtus cordi est, tum in primis Principi viro, mentiri ac fidem fallere turpe est *Piccart. Obser. Polit. Lib. 18. c. 7.* Inde nobile dicitur magnanimi Principis Philippi Hassiaci vulgo laudatur: *Man soll einen Fürsten erkennen / bey haltung beschehener Zusage / reiner Strassen / und guter Münze / Auth. de Jur. Princ. th. 72. Warem. de Erenb. de Fœd. c. 5.* sedulo itaque caveat Princeps ne incurrat perfidiae maculam, cujus plerumque foedi & funesti solent esse exitus. Sit igitur Princeps non tantum promissi sed etiam Jure Divino & Gentium debiti proprius testis & Judex, utpote qui alium non habet coram quo conveniri possit, nisi Deum gravissimum vindicem, inde *Senec:*

*Vos quibus Rector maris atq; terrae  
Jus dedit magnum necis atq; vitae  
Ponite flatus tumidosq; vultus  
Quicquid à vobis minor extimescit  
Major hoc vobis Doming minatur.*

Lici-

Licita autem hæc disruptio amicitiae est, quando Neutralis ad arma nociva se præparat, & justum metum alterutri belligeranti incurrit. Tunc enim non attendendum quid jure fieri debeat, sed quid necessariæ defensionis maxime conveniat, quoniam fraudem fraude repellere jura sinunt. Et ad hanc armaturam sufficit, si neutralis in uno articulo neutralitatis fide debiti contra jus fasque fregerit, quoniam conventionis contextus est indivisibilis, propter naturam correlativorum, quorum uno deficiente, alterum corrui. Nec tamen exinde statim belli causa belligeranti datur, si neutralis vel militem majoris securitatis causa conscripserit, vel subditos lustraverit, vel arces & fortalitia muniverit: hoc enim vel Jure Majestatis vel Jure territorii singulis Imperantibus quibus hoc jus competit liberum est, modo non fiat hostili animo & evidentissimo aggressionis vel invasionis apparatu R. J. de Anno 1567. S. Wiewohl wir nun & de Anno 1542. S. Wann wir nun aber Myller, de Stat. Imp. c. 77-79.

Si ralis merus non subfuerit, Belligerans utut armis sit potenti-

or, vel periculo proximior, tamen neutralem sub nudo potentiae vel necessitatis prætextu inquietare nullo modo debet: Neque magis excusatur, quam is qui vel ultro publice delinquit, vel fame ad delinquendum incitatur: ne illi hac obijciatur quod Pirata captus olim Alexandro Magno. Nam quod Privati per Judicia illud Principes per arma vindicare jus habent. Et quod actionum forensium sunt fontes, totidem sunt belli: ac ubi deficiunt Judicia ibi incipiunt bella. H. Grot. de Jure P. & B. l. 2. cap. 1. à Privatorum enim delictis ad majorum scelera facilis est argumentatio. Inde Neutrali ab omni defensione, damno, injuria inquietatione, & deprædatione immunitas exhibenda Becht. de salv. cond. th. 19.

Cum itaque Neutralis ab omni belligerantium impetu immunis ratione & civili & naturali sit, facile sequitur, belligerantes jus conscribendi, ducendi, vel lustrandi militem in Neutralis territorio non habere, secundum ea, quæ th. 79. dicta sunt, quo etiam referimus Jus hospitandi seu inquantrandi, German: das Einquartieren/ licet enim Dominus territorii tempore



pore Reib. necessario illo jure gaudeat, arg. l. 3. §. 13. ff. de Mun. & hon. l. 2. C. de Metat. Knich. de Jur. rer. c. 4. n. 489. quia oneribus reabilibus accensetur d. l. 3. §. 14. l. fin. §. pen. ff. de mun. & hon. tamen belligerantibus in terris Neutralium idem sine rupturâ Pacis publicæ competere nequit. Summis enim Principibus illud Jus competit Jure Majestatis, quia est adjunctum rei militaris & juris belli *Arnif. de Jur. Maj. l. 2. c. 1. n. 7.* unde crimine Majestatis teneri dicitur, qui injulso Principis delectum habuerit l. 3. ad L. Jul. Maj. Paul. 5. sent. 29. vers. 1. Statibus autem Imperii nostri, ea ratione, quâ illis Jus belli competit, etiam Jus in quartandi vigore juris territorialis competere potest *D. Tabor. Tr. de Metat. c. 6. n. 2. 3.* Aliis a. Imperii membris competit idem Jus, vel ex concessione speciali, eaque expressâ vel tacitâ, vel ex consuetudine vel ex præscriptione. Unde jam consequens est illis hoc Jus planè denegandum qui nec superioritatis, nec familiaritatis, nec præscriptionis, nec belli legitimi jure se tuentur. Adeoque inter intermes, innocentes, ac medios; & inter status hostiles magna statuenda est differentia: Et ad exemplum Mosis si summa necessitas urgeat transendi

per agros neutralium & amicorû, regia debent belligerantes & hostem persequentes ire via, nec deflectere in arva aut vineta, sed præfenti ære vivere, quoniam turpis fama est, & inexcusabile crimen socios medios, ac hostes juxta pefundare. *H. Grot. de Jur. P. & B. l. 3. c. 17. n. 2. Tabor. d. tr. c. 6. n. ult.*

92.

Et licet sub prætextu necessitatis multa sæpe in finitimos quamvis pacatos sint concessa, dummodo inevitabilis subsit necessitas, quæ jus in rem alienam, aliàs à jure belli immunem permittat. Summa tamen adesse debet necessitatis ratio, neq; ultra eam aliquid sumendum; quare si custodia sufficiat non sumatur usus, si usus satisfaciatur non est tolerandus abusus, si autem & hunc tandem ultima imperaverit necessitas rei pretium utiq; restituendum & omnis causa.

93.

Ita illi, qui justum gerit bellum, licet occupare locum in solo pacato situm, si scilicet periculum sit, ne hostis illum locum invadat in damnum irreparabile, & alia ratione, putâ adeundo Dominum, usus ejus obtineri non possit, ut tñ. occupans antea caveat de faciendâ cum omni

omni causâ restitutione, simulatq; cessaverit illa retinendi necessitas. Neq; ad restitutionem non obligari ille dicendus est, qui jure alieno utitur, cum illi non plenum sed restrictum cum onere restituendi jus fuerit *Grot. l. 2. c. 2. n. q. 10.* adeoq; summa eidem hic adesse debet necessitas & ratio victoriæ; quia malum hic est, quicquid vel minimum abijt à necessitate. Propterea ante omnia exquisitissime indagandum, quomodo hosti iter impediatur, eique & ejus jumentis pabula adimantur; Unde non temerè sunt contemnendi, qui loca possident prohibendo itineri commoda.

94.

Hæc tamen occupandi concessa libertas ita limitata esse debet, ne aliquam iniquitatem vel læsionem contineat, neve exercitum ad

prædam & depraedationem in terram neutralis inferat, quoniam omne damnum hac ratione illatum est refarciendum. Ita etiam si ipse Dominus poterit loca sua defendere, jure merito, alterutrum beligerantium repellit. Qui etiam eo minus hanc occupandi licentiam sibi persvadebit, quo locus ille remotior ab hostium confinio: adeoque semper distinguendum est inter colorem & veritatem necessitatis, & quemadmodum hanc jure excusamus, ita illum modeste reprobamus.

Plura de neutralitate dicere materia & rerum status indulget, nisi licentia hæc scholastica inter terminos dissertationis esset concludenda.

❖ (o) ❖

*¶* **D**um celebrant alij torpenti præmia Bachi,  
 Ardens ingrederis spatiosa sacella Themista.  
 Ut jus quisq; suum capiat, damnunq; repellat  
 Exeris, ac mentis fetus exponis aperte.  
 Hinc summum ad culmen meritum procudis honorem  
 Nam quo præcedit virtus fortuna reflectet.

Florentissimo Dn. Schrödero domestico  
 suo suavissimo gratulatur


PRÆSES.

❖ (o) ❖

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Further faint, illegible text, possibly bleed-through or very light printing.





gehören / unter was Schein oder  
Vorwand es immer seyn möchre /  
geführt würde / dasselbe wollen wir  
mit Ernst abschaffen / Gewalt mit  
Gewalt hinterreiben / und den be-  
leidigten Ständen / Hülf-Hand-  
und Rettungs Mittel kräftiglich  
wiederfahren / und nach inhalt des  
Reichs Satz: in Executions Ord-  
nung gedeyen lassen. N crantum  
hanc defensionem securitatis Im-  
perator statibus, verum etiam Sta-  
tus suis subditis promittere & præ-  
stare debent: Quemadmodum Se-  
renissimi Duces Mechlenb: p. m.  
per literas assecurationis idem suis  
Provincialibus promiserunt, p. 30.  
ibi: Wir sind auch zum acht und  
dreißigsten hinführo keine Lausplä-  
ße / oder Durchzüge in- und durch  
unsre Fürstenthüme und Landen /  
oder je ander gestalt nicht / daum auf  
maß / wie in den Reichs Abschieden  
versehen / zuverstatten gänglich ge-  
meiner und entschlossen.

86.

Ex quibus patescit, quam cautè  
ac providè neutralis versari debet,  
ne flagranti inter vicinos bello se  
immisceat, cum saepe iuvisse no-  
ceat, & in virtutibus periculum sit:  
Licet enim virtus bellica animo  
Principis in esse debeat, tamen ex-  
ercitium ejus utilitas publica di-

stare del  
vel in vic  
sulta affil  
enim no  
lem sui de  
nem, sed  
bet ad uni  
perium.  
subdito  
nunquam  
rest, in Pri  
xia. Ut P  
am & præ  
lum subea  
& laude di  
le reprehe  
blicam du  
alterius Pri  
videns per  
molument  
Inde Regul  
& cave tibi

Supereft  
Quomoc  
cum Ne  
vivere. I  
tentiores  
de, ne iniqu  
ad bellum,  
minos amic  
Facile enim  
do belligera

prudencia  
um incon  
Princeps  
us specia-  
sideratio-  
rigere de  
mune Ina  
quam in  
niferatio  
dere po-  
pe est no-  
ius grati-  
s pericu-  
inus est,  
ncipe ta-  
item pu-  
nen pro-  
liti vel e-  
rtum e-  
noceat:  
sene age,

endum  
rantes  
beant  
ant Po-  
provi-  
tentur  
em ter-  
obruat.  
r quan-  
in con-  
finis

